

*Obs.* Fere omnes species varietatem foliis magis incisis aut dissectis agnoscunt. e. g. *L. salinus* Poll. *L. Taraxacum L.* sic quoque *L. taraxacoides* Hoppe est varietas dissecta mei *L. arcuati*.

6. *Lactuca virgata*: caule erecto virgato, floribus lateralibus subspicatis, foliis caulinis hastato-amplexicaulibus oblongis runcinato-pinnatifidis denticulatis, carina subtus spinulosis.

Habitat — In herbario Schmidtiano nomine *L. intybaceae?* obvedit.

Caulis virgatus, et flores laterales subspicati *L. salignae*, folia fere *L. scariolae*, sed profundius dissecta, laciinis linear-i-lanceolatis valde recurvatis praecipue antrorum dentatis. *L. salignam* quidem etiam foliis inferioribus runcinatis variare satis notum est, sed folia ejus angustiora elongata, eorumque lobi laterales sunt integerrimi.

7. *Hypochoeris corsica*: scapo squamoso 1-floro glabro, foliis radicalibus runcinato-pinnatifidis, laciinis linearibus divaricatis hirtis glabrisve, anthodio canescente parce setoso, pappo omni stipitato.

Habitat in montibus Corsicae. 24

Radix pereonis cylindrica crassa sublignosa multiceps. Folia radicalia conferta lanceolata profunde pinnatifida, laciinis linearibus subintegris mucronulatis arcuato-reflexis, aut divaricatis, subundulatis, pilis sparsis hirtis aut subglaberrimis. Scapi plures digitales aut paulo longiores, primo diffusi, demum erecti gracillimi, squamis linearibus sparsis remotis,